



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio LXXXIII. De celebratione Missæ & Communione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO OCTOGESIMA TERTIA.

De celebratione Missæ & Communione.

INTER ritus omnes in Dei cultu ab Orthodoxis adhiberi solitos Missa primum locum obtinet, qua jam inde à nascente Ecclesiâ, quamvis non cum iisdem semper caremoniis, in ejus honorem offerebatur. Missæ verò nomine, ut hac vox modò usurpatur, non precum tantum & sacrarum lectionum collectio usque ad Offertorium, qua Missa Catechumenorum dicebatur, quòd tunc jubentur Catechumeni discedere, sed illa etiam Liturgia pars intelligitur, qua reliqua omnia usque ad finem complectitur, appellabaturque Missa Fidelium. De hujus ergo celebratione, variisq; ad illam spectantibus, ut de loco, tempore, aliisque ejusdem circumstantiis, brevem hic tractatum adjiciam: deinde nonnulla etiam de sacra Communione adjungam.

SECTIO PRIMA.

Annotantur quedam circa celebrationem Missæ.

I.



QUÆRES primò: Quo loco celebrari debeat sacrificium Missæ? Respondetur: Seclûs privilegii & casu necessitatis non posse Missam celebrari extra Ecclesiam consecratam aut benedictam (vel ut ait Sanchez lib. 9. de Matri. d. 15. num. 39. cum aliis, in oratorio ad publica officia divina ab Episcopo deputato, licet consecratum aut benedictum non sit) ita Suarez tertia parte, tom. 3. disp. 81. sect. 3. Tolet. lib. 2. cap. 2. num. 1. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 115. Bonacina d. 4. quart. ultima, punct. 9. num. 9. Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. primo, & quamvis Emmanuel Sa verbo *Missæ*, num. 20. & Soto existiment seclûso scandalo & contemptu non esse peccatum mortale in quovis loco honesto & decente celebrare, contrarium tamen dicendum cum Doctoribus citatis, tum quia materia gravis videtur, tum etiam quia sub penâ gravi, depositionis scilicet ab officio prohibetur.

Risp. In Ecclesia benedictâ, vel consecratâ.

Seclûs privilegii.

Dixi seclûs privilegii, Gregorius enim XIII. concessit Presbyteris Societatis JESU ut possint in missionibus & in castris in quovis loco honesto Missam facere.

Dixi etiam extra casum necessitatis; si enim Ecclesiâ alicubi essent diruta, vel in die festo tanta esset frequentia populi, ut templum capax non foret (quam aliqui ad primam Missam in die non festo celebratam extendunt) & alia hujusmodi, tunc alio in loco, aut etiam sub dîo sacrificare liceret: si tamen adiri possit Episcopus, petenda ab eo licentia.

Quid in casu necessitatis.

QUÆRES secundò: Licetne in mari Missam celebrare, aut in Ecclesiâ violatâ? Quoad primum negat Tolet. lib. 2. cap. 2. num. secundo. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 116. Bonacina d. 4. quart. ultimâ, punct. 9. num. undecimo, & communior sententia ob periculum effusionis sanguinis. Sa tamen verbo *Missæ*, num. 19. ait seclûso hoc periculo licere. quod etiam affirmat Henriquez, Angles, & alii, & inclinare videtur Laym. tract. 5. cap. 5. num. 6. quod mihi probabile videtur, & jam passim fieri aiunt à Lusitanis dum in Indiam tendunt.

II.

Quoad mare variis auctoritatibus.

Quoad secundum conveniunt omnes non posse celebrari Missam in Ecclesiâ violatâ, cum extet hac de re prohibitio Ecclesiæ. Gravi tamen urgente causa posset Episcopus concedere licentiam ut in ea ante reconciliationem celebraretur.

QUÆRES tertio: Quo tempore celebrari debeat Missa? Respondetur: Comuni jure non licere Missam celebrare ante auroram, id est horâ circiter cum mediâ ut ait Filliu. ante ortum Solis: ita Suar. tertia parte, tom. 3. d. 80. sect. 4. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 111. Bonacina d. 4. quart.

III.

Virum ante auroram.

quæst. ultimâ, punct. 9. num. 2. Layman libro 3. tract. 5. cap. 4. num. 1. Addunt Suarez, Filliuc. & Bonacina posse mediâ horâ ante crepusculum Missam inchoari, ita ut finis Missa sit sub initium crepusculi.

Quid ex privilegio, vel urgente necessitate.

Ex privilegio tamen, vel urgente necessitate potest quis adhuc aliquanto magis tempestivè Missam celebrare, ut notat Layman num. 3. & alii: imo consuetudo obtinuit in quibusdam Gallie partibus, in Belgio, & superiore Germania, ut hyemis tempore tribus vel quatuor horis ante ortum Solis Missa inchoetur, ut operarii & famuli prius audire Sacrum possint, quàm se ad opera conferant. In nocte etiam Nativitatis ait Suarez, & alii, posse omnes tres Missas dici ante auroram, licet Bonac. neget.

Possint celebrari post meridiem.

Sacrum sine privilegio aut necessitate inchoari non debet post meridiem; hoc enim in rubricis præscribitur: ita Suarez dist. 80. sect. 4. Filliuc. tract. 5. cap. 4. num. 113. Layman. tract. 5. c. 4. num. 3. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, punct. 9. num. 6. qui addit peccare mortaliter Sacerdotem, qui sine causâ Missam intra spatium trium quadrantum vel horæ post meridiem non perficit; imo, inquit Azor, si intra tertiam horæ partem id non præstet, licet Navarrus usque ad tertiam pomeridianam Missas celebrari posse asserat, quod tamen alii ferè omnes negant.

Quid in casu necessitatis.

In casu autem necessitatis, puta ratione itineris aut alterius impedimenti, ut ne infirmus sine Viatico decedat, &c. potest Missa post meridiem inchoari; imo, inquit Layman, potest ex quacunque iustâ causâ Missa uno vel altero quadrante post meridiem inchoari. Si verò in die solemnî concio aut Sacrum solemne ultra meridiem per unam aut duas horas protrahatur, putat Suarez citatus & alii, post solemne officium finitum posse privatam Missam inchoari, præsertim si pars aliqua populi Missam non audivisset: quamvis hoc negare videatur Bonacina citatus.

IV.

Resp. Non licet.

Quæres quartò: Licetne bis aut sæpius in die celebrare? Respondetur, excepto die Nativitatis (in quo, licet nullum sit præceptum tres Missas, vel dicendi, vel audiendi, permissum nihilominus est ter Missam celebrare) non licere extra casum necessitatis bis Sacrum facere: ita Suarez d. 80. sect. tertîa, Filliuc. tract. 5. c. 4. num. 108. Layman tract. 5. cap. 4. num. sexto, & omnes: probaturque ex cap. Sufficit de Consecratione, d. 1. ubi declaratur esse grave peccatum: deinde consuetudo immemorabilis idem ostendit.

Peculiares aliqui casus.

In casu tamen necessitatis potest Sacerdos jejunos bis celebrare, ut ne moribundus absque viatico decedat: si tamen Sacerdos tempestivè in Sacro moneatur, potest, inquit Layman, particulam suæ hostiæ ei reservare. Prætereant populus in die festo Missâ privetur quia parochus duabus præest parochiis.

Quid de Angliâ.

Addunt Navarrus, Azor, & alii, in Angliâ, ubi pauci sunt Sacerdotes, posse aliquem sæpius in die ad satisfaciendum populo Catholico celebrare. Unde licet Sotus & alii nonnulli negent, probabilius tamen est quod affirmat Suarez, Coninck, & Layman, licitum esse ex iustâ occasione non bis tantum, sed sæpius eodem die celebrare.

V.

Negant aliqui.

Quæres quintò: An teneatur Sacerdos aliquando Missam celebrare? Sanctus Bonaventura, Halensis, Victoria, Rodriguez, Angles, & alii nonnulli dicunt simplicem Sacerdotem non

peccare mortaliter licet nunquam celebret, modo in Paschate communicet. Quam opinionem Suarez & Hac res ait esse probabilem, & excusari à peccato posse aliquem qui se ei conformare velit.

Contrarium est probabilius.

Probabilius tamen est Sacerdotem quemcumque legitimè non impeditum graviter peccaturum, nisi ter saltem vel quater in anno celebret: ita S. Thomas quæst. 82. art. 10. Suarez d. 80. sect. 1. Valentia tomo quarto, d. 6. quæst. 10. p. 3. Henriquez lib. 9. cap. 23. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 1. Coninck quæst. 83. art. 2. d. 1. Filliuc. tract. 5. cap. 4. num. 96. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 7. num. 1. Layman tractatus 5. cap. 3. num. 1. & communis sententia.

Huius rei ratio.

Ratio est, tum quia verba Christi Luca 22. Hoc facite in meam commemorationem, id innuere videntur, ut declarat Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. tum quia occasionem scandali aliis præbet, cum ingerat suspicionem prave conscientia. Unde cum Caietanus dixisset Sacerdotem nunquam celebrantem peccare solum venialiter, Pius Quintus in ultimâ editione Romanâ operum Sancti Thomæ iussit opinionem illam Caietani expungi.

VI.

Licet Feria quinta in Canonâ Domini.

Quæres sextò: Sintne dies aliqui in quibus celebrare non liceat? Dico primò, feriâ quintâ in cenâ Domini licitum est cuius Sacerdoti, secluso scandalo, & consuetudine in contrarium, celebrare: ita Suarez d. 80. sect. secundâ, Filliuc. tract. 5. cap. 4. num. 105. Layman tract. 5. c. 4. num. 9. Ratio est, quia nullum est præceptum aut prohibitio in contrarium. Consuetudo autem qua Sacerdotes eo die de manu Superioris communicant, tantum est ex devotione.

Idem est id. Sabbato sancto.

Dico secundò: Sabbato sancto, secluso scandalo, licitum est Missas etiam privatim celebrare, saltem ab eo tempore quo incipit, vel incipere potest Paschale officium: ita Suarez d. 80. sect. 2. sine, dicens opinionem hanc esse practicè securam, licet, ut omne scandalum vitetur, putet non sine causâ consulendam, Filliuc. tract. 5. c. 4. num. 107. addens viros etiam timoratos celebrare eo die solere post pulsationem campanarum, Coninck quæst. 83. art. 2. d. 2. & ut problema amplectitur Layman tract. 5. cap. 4. num. 8. Omnes tamen hi fatentur licere unam Missam mane privatim pro iis dicere qui officio publico interesse commodè non possunt, sicut etiam ad communicandum infirmum, &c.

Idem est id. Frujus rei ratio.

Ratio est, quia licet olim hoc prohibebatur, eo quòd Ecclesia illo die ne quidem publicè Missam celebraret usque ad initium Dominicæ, jam tamen cum ablata sit hæc prohibitio quoad publicum officium, censetur etiam ablatum quoad privatam, licet Navarrus, Henriquez lib. nono, cap. 24. num. tertio, & alii nonnulli existiment esse peccatum mortale Missam privatam eò die sine causâ celebrare.

In die Parasceves non licet celebrare.

Dico tertio: In die Parasceves non licet Missam celebrare: ita omnes. Ratio est, tum quia jure canonico prohibitum est cap. Sabbato de consecratione d. 3. tum quia ne publicè quidem Ecclesia eo die Missam celebrat, sed Sacerdos tantum communicat ex hostiâ præconsecratâ. Addit tamen Suarez, Filliuc. Layman, & alii licitum esse per se loquendo eo die communionem distribuere, cum Innocentius I. cap. illo Sabbatho solum prohibeat sacrificium. Mos etiam antiquis fuisse videtur, ut communio eo die distribueretur.

SECTIO SECUNDA.

De iis quæ ad Missæ celebrationem requiruntur.

I
Sine altari celebrari non potest.

QUÆRES primò: An, & quale requiratur altare ad Missam celebrandam? Respondetur, non esse licitum celebrare sine altari: ita omnes Auctores, cum sacrificium sine altari confici non possit. Altare majus olim ut plurimum erigebatur versus Orientem, sed solum ex decentiâ, non necessitate: ita Suarez d. 81. sect. 5. sine, & Filliu. tract. 5. cap. 4. n. 123.

Altare debet esse lapideum.

Altare autem debet esse lapideum à tempore Sylvestri Papæ, & habetur cap. *Altaria* de Consecratione d. 1. & vel lapis integer, qui totum per se altare constituat, ut ait Suarez, & Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 9. num. 12. vel portatile, seu mobile, aut viaticum, ut vocant, tantæ magnitudinis, ut hostiam seu patenam cum pede calicis, inquit Suarez d. 81. sect. 5. & Fill. tract. quinto, cap. quarto, num. 121. vel ut corpus cum majore parte calicis capiat, inquit Tol. lib. 2. cap. 2. num. 10. licet ut ait Layman tract. quinto, cap. 6. num. secundo, non oporteat quemquam scrupulosè sollicitum esse ut calix & patena secundum omnes sui partes super lapidem consistant; sufficit enim, inquit, si major eorum pars in eo posita sit, quod etiam docet Suarez citatus.

Debet altare esse consecratum ab Episcopo.

Hoc altare necessariò debet esse consecratum ab Episcopo, licet Paulus III. concesserit Presbyteris Societatis Jesu, ut in partibus remotissimis infidelium, ubi Episcopi non sunt, possint altaria consecrare. Amittitur verò consecrationem si notabiliter ita frangatur, ut in nullâ ejus parte collocari calix cum patenâ possit. Altare autem fixum ulterius definit esse consecratum ipso facto quòd à reliquâ structurâ removeatur. Layman etiam, & alii nonnulli volunt altare portatile amittere consecrationem, si à ligno cui inclusum est separetur, si in illo ligno sit signum seu locus Reliquiarum. Suarez tamen citatus, Filliu. & alii affirmant nec lignum ad altare portatile necessarium esse, nec Reliquias, jam usu cessasse.

Quid de Reliquiis.

QUÆRES secundò: Quomodo vestiri debeat Altare ad sacrificium Missæ? In primis duæ mappæ lineæ, quas toballas vocant, extendi debent, vel saltem una duplicata. Deinde requiratur corporale similiter lineum quoad partem anteriorem, hoc olim tantæ erat longitudinis, ut etiam calicem cooperiret, nunc autem divisum est, & illa pars, quam pallam vocamus, id præstat, quæ proinde ex parte posteriore linea esse debet: ita Suarez d. 81. sect. 6. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 9. num. 23. & 24. Saverb. *Missæ*, num. 7. Layman tract. 5. cap. sexto, num. 10. Filliu. tract. quinto, cap. quarto, num. 124. addens probabile esse præter corporale requiri mappam triplicem, & eos qui diligenter tractant res divinas tribus mappis uti, quod etiam affirmat Suarez, & constat ex rubricis.

Palla & corporale debent esse benedicta.

Palla & corporale debent esse ab Episcopo benedicta, quod etiam in aliis mappis tegentibus altare observari solet, licet non sit necessarium, quare (inquit Sa, Bonacina, Layman, & Azor cap. 28, quæst. 8. sine) si celebratio nulla map-

pa benedicta præsto sit, fas est adhibere non benedictas, quæ deinde, sicuti prius, usibus profanis applicari poterunt.

Corporale debet esse mundum & int. grum.
Corporale integrum sit oportet; si enim notabiliter fractum sit, amittit consecrationem. Deinde debet esse mundum; si enim notabiliter immundum sit, foret peccatum mortale illud ad Missæ sacrificium adhibere: ita Sa, Suarez, & Bonacina citati.

QUÆRES tertio: Qualis in sacrificio Missæ requiratur calix & patena? Præter dicta requiratur calix & patena, idque ex auro, argento, aut stanno, non ex alia materia, saltem quoad cuppam calicis: ita Suarius d. 81. sect. 7. Filliucius tract. 5. cap. 4. num. 130. Bonacina d. 2. quæst. ultimâ, p. 9. num. 16. Layman tract. 5. c. 6. num. 12. ita enim habetur cap. *Vasa* de consecr. d. 1. & in Concilio Tribur. & Rhemenf. Unde ex aurichalco, ære, ferro, ligno, vitro, aut lapide confici modo calix non potest, licet aliqua ex istis olim fuerint in usu, & etiamnum quidam dubitent de plumbo, eo quòd censeant esse genus stanni. Debent verò ambo esse consecrata propriè, seu christmate peruncta, idque sub pena depositionis ab officio & beneficio præcipitur. Amittitur verò consecratio quando interior pars denuo inauratur: ita Vasquez tertia parte, d. 233. cap. 4. n. 34. Suarez citatus, Filliucius num. 132. Bonac. n. 18. licet Sa & Coninck negent. Fatentur etiam omnes non amitti consecrationem per solam auri deperditionem. Calix tornatilis non amittit consecrationem quoties cuppa à pede separatur, amittit vero si per fractionem id contingat.

III

Qualis requiratur calix & patena.

Debet esse propriè consecratum.

De pixide in qua servatur sanctissimum Sacramentum certum in primis est non requiri ut sit propriè consecrata, cum sola illius benedictio ponatur in Pontificali: imò Suarez, Vasquez, Filliucius & Bonacina, licet suadendum esse dicant ut consecretur, asserunt tamen non esse necessarium.

De pixide in qua servatur venerabile Sacramentum.

QUÆRES quarto: An requiratur Crux, lumen, & missale? Crux sub peccato veniali in altari tempore Missæ requiratur: ita Suarez d. 81. l. 6. Filliu. tract. 5. cap. 4. num. 127. Bonacina d. 2. quæst. ultimâ, p. 9. num. 29. Layman tract. 5. cap. 6. num. 12. & 17.

IV

Crux requiritur sub veniali.

Sub mortali secundum omnes requiritur lumen. Nunc ex consuetudine adhibentur duæ candelæ, eæque ex cerâ, in rigore tamen secundum omnes sufficit una, & in necessitate lucerna ex oleo, ut ait Suarez, & Fill. imò juxta Bonac. Azor, & Laym. n. 17. ex sevo, modò absit scandalum, quod alii non negant præter Suar. mihi que videtur probabile.

Lumen sub mortali.

Librum etiam qui saltem canonem contineat requirunt omnes sub mortali, per se loquendo, cum se periculo exponat graviter errandi, licet si quis perfectissimè omnia nosset memoriter, nullam esse rationem fateatur Suarez cur, secluso scandalo, peccet mortaliter, qui sine libro celebrat, cum nullum extet hujus rei præceptum. Quod etiam in aliquo casu admittit Layman numero decimo septimo, longèque est probabilius.

Liber per se loquendo requiritur sub mortali.

QUÆRES quinto: An, & qualis requiratur minister? Olim ad Missam duo requirebantur ministri, nunc usus obrinuit ut in Missis privatis sufficiat unus; quando autem Sacerdos dicit *Domine vobiscum, Orate fratres*, &c. alloquitur Ecclesiam, sicque verba sunt vera: ita Suarez d. 87. sect. 1. sine, Filliu. tract. 5. cap. 6. numero 192. & sequentibus, Bonacina d. quarto, quæst. ultimâ, p. 9. num. 33. Layman tract. 5. cap. 6.

V

De ministro in Missa privatis.

cap. 6. num. 13. & alii passim, qui aiunt per se loquendo esse mortale Missam sine ministro celebrare. Ratio est, quia hoc expressè præcipitur cap. Hoc quoque de Consecratione d. 1. & c. Proposuit de filiis Presbyterorum. Layman tamen ait in quibusdam partibus Germaniæ usum obtinuisse ut Sacerdos sine ministro respondente Missam celebrat.

An sit necessarius.

In aliquo casu celebrari potest sine ministro.

Possuntne femina admitti ad inserviendum sacro.

VI.

Vi debet calcis.

Non potest sine gravi causâ celebrare quis solo capite.

VII.

Sex vestes diversa in Missâ debent adhiberi.

Quanam ex his in casu necessitatis possint omitti.

In casu tamen necessitatis ait Suarez, & Filliu. ut si fumendum, vel alteri dandum esset viaticum, imo si in die festo alioqui Sacrum esset omittendum, posse Sacerdotem sine ministro Missam celebrare, licet in hoc postremo casu neget Bonacina citatus. Filliucius verò addit etiam in casu minoris necessitatis, si nullus adfit qui inservire nōrit, posse Sacerdotem ipsum tunc instruere præeundo, & suam vicissim partem subijciendo. Eremita etiam secundum omnes non potest sine dispensatione Missam solus celebrare, cum status sit voluntarius, non casus necessitatis.

Omnes tamen in hoc conveniunt omittendum potius esse Sacrum, quam tœminam ad altare, ut ex vicino respondeat, aquam & vinum porrigat, & reliqua præster, admittendam, tum quia c. 7. de cohabitatione clericorum & mulierum id expressè prohibetur, tum ob indecentiam & periculum. Permittitur tamen ut sanctimonialia à longè ex choro Sacerdoti respondeant ad altare celebranti. Quibusdam tamen in locis consuetudo invaluisse videtur ut feminae Sacro in necessitate inserviant.

Quæres sextò: An celebrare possit Sacerdos cooperto capite, aut sine calcis? Debet Sacerdos uti calcis dum celebrat, quod tamen non sub mortali præcipitur, sed ex decentiâ: ita Suarez d. 82. sect. 3. sine, Bonacina d. 4. q. ultimâ, p. 9. num. 28. Layman tractatu 5. cap. sexto, num. 15.

Graviter verò, & sub privatione communionis prohibetur cap. Nullus de Consecratione d. 1. Ne Presbyter ullus Missam celebret tecto capite. Si tamen urgeret aliqua necessitas, posset Episcopus concedere dispensationem, ut saltem usque ad consecrationem sit capite operto. Imo si gravis esset necessitas, nec posset dispensatio facile postulari, liceret id, etiam non petita dispensatione, privatim facere, vel etiam publicè, si causa sit omnino præsentibus manifesta: ita Layman num. 16. & alii citati.

Quæres septimò: Quæ vestes adhibendæ sint in sacrificio Missæ? Respondetur: Amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & planetam esse necessaria, ita & unum ex his sex voluntariè sine peccato mortali omitti non possit: ita Suarez disp. 82. sect. 3. Tolet. l. 2. cap. 2. num. 2. Filliucius tract. 5. cap. 5. num. 147. Bonacina disp. 4. quæst. ultima, p. 9. n. 2. & 7. Layman tract. 5. c. 6. n. 17. Probatur ex universali Ecclesiæ consuetudine, quæ hunc ritum observat tanquam necessarium, & maximè spectantem ad reverentiam sanctissimi Sacramenti, quâ etiam de causâ non debent esse immundæ, licet plerumque secundum Auctores in hoc solum committatur peccatum veniale.

In casu tamen necessitatis unam vel alteram ex minoribus hærum vestium omittere, ut stolam vel manipulum non est peccatum mortale: ita Suarez, Filliucius num. 149. Layman num. 17. & alii. Orationes verò quæ præscribuntur, dici debent dum se vestit Sacerdos, nec omitti possunt sine peccato veniali: ita Suarez, Bonacina n. 31.

& alii. Imo Navarrus & Azor dicunt esse mortale, & insinuat Gavantus tom. 1. parte 2. titulo 1. num. secundo.

Quæres octavò: Debeatne hæ vestes esse benedictæ. Quod de vestibus diximus, dicendum de earum benedictione; vestis enim non benedicta perinde est ac nulla: ita Suarez, Layman, Bonacina, Filliucius proximè citati, & habetur cap. Quod in dubiis de consecratione Ecclesiæ vel altaris, & probat praxis Ecclesiæ. Scotus tamen & Richardus aiunt licitum esse uti cingulo non benedicto, quam tamen sententiam Navarrus & Suarez aiunt non esse tutam.

Quæres quando censeantur vestes Sacerdotales amittere benedictionem. Respondetur: Quando ita sunt lacerae ut reddantur non aptæ usui cui primò sunt destinatae, nec priorem figuram retinent: quare si ab albâ manica dividatur, licet eadem rursus apponatur, amittit alba benedictionem: quod etiam dicendum de cingulo, si ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum, secus si altera adhuc pars sufficiat, licet nova ei addatur, vel reficiatur antequam planè frangatur. Stola etiam pro cingulo deservire potest, sicut & pro manipulo, & hic pro stolâ, si sit satis longus: Ita Paludanus, Sylvester, Suarez tertia parte, tom. 3. d. 82. sect. 2. sine, Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 9. num. 26. Navarrus, Azor, Sa, Layman, & alii.

Quæres nonò: Possintne laici tangere res sacras? Respondetur: Vestes illas aut vasa quæ vel chrismate delibuta sunt, vel immediatè contingunt Corpus Domini, qualia sunt lapis sacratuus, calix, patena, corporale, purificatorium, Agni benedicti, &c. non posse à laicis sine peccato nudâ manu contingi; hoc enim prohibetur cap. Sacratuus, & debita his rebus reverentia id videtur requirere. Secluso tamen contemptu solum est veniale: ita Suarez tertia parte, tom. tertio, disp. 81. sect. 8. §. Tertium exemplum, Filliucius tract. 5. cap. 4. num. 135. Bonacina d. 4. quæst. ultima, p. 9. num. 20. Layman tract. 5. c. 6. num. 19. Azor tom. 1. lib. 9. c. 9. quæst. 3. & alii. Imo, si rationalis detur causa, nullum omnino erit peccatum, ut ait Layman citatus, & alii.

Debent itaque corporalia & purificatoria à Diacono vel Sacerdote prius semel ablui, quam laicis lavanda, aut reficienda tradantur, & aqua illa in piscinam sacram mitti: ita habetur c. Nemo, de consecratione d. 1. Vasa autem sacra, dum in iis actu continetur Corpus & Sanguis Domini, non possunt à quovis præterquam à Sacerdote aut Diacono sine gravi culpâ tangi: ita omnes citati.

VIII.

Ha vestes debent esse benedictæ.

Quando ha vestes amittant benedictionem.

IX.

Corporalia, & alia huiusmodi non possunt.

Debent corporalia & purificatoria semel à Sacerdote aut Diacono lavari.

SECTIO TERTIA.

De quibusdam Missæ circumstantiis.

Quæres primò: Possintne Missa inchoata interrumpi, vel etiam abrumpi? Resp. In aliquo casu posse, ut si habenda sit contio, ordines conferendi, moribundi confessio excipienda, aut extrema Unctio eidem danda, &c. Sine gravi tamen causâ interrumpi Sacrum non debet: ita Henriquez lib. 9. cap. 30. num. 3. Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, p. 10. num. 24. Gavanti p. 3. tit. 10. num. 18. Layman tractatu quinto, cap. 7. num. 1.

Quoad secundum non potest Missa inchoata sine gravi causâ abrumpi: ita Layman citatus n. 2. & omnes

I.

Sine gravi causâ interruptum non debet.

Necque etiam potest si gravi causâ abrumpi.

& omnes: & habetur cap. illud ubi hoc sub pœnâ excommunicationis prohibetur. Dixi absque grav. causâ; hæc enim datâ, ut si ingruant hæretici, vel Ethnici, qui Sacerdotem occidant, si Sacerdos incidat in gravem morbum, aut quid simile, licebit Missam inchoatam, etiam post consecrationem relinquere: ita Layman, & alii. Si tamen contingat Sacerdotem post consecrationem, etiam viuis tantum speciei, mori, aut ita ægrotare, ut sacrificium perficere non possit, debet ab alio, etiam non jejuno, si haberi jejuno nequeat, perfici: ita Suarez d. 85. sect. 1. sine, Bonacina num. 20.

II.
Missâ inchoata potest occasione resumt.

Quæres secundò: An Missam inchoatam liceat denuò resumere? Respondetur, ex occasione licere, ut si ante consecrationem veniat Episcopus, aut Princeps, nec alia Missa haberi possit; tunc enim Missam denuò inchoare Sacerdos poterit: ita Layman tract. 5. cap. 7. num. 3. Gavan. p. 3. tom. 10. num. 17.

III.
Probabile est posse.

Quæres tertio: An consecrari possit pro laico communicato parva hostia post oblationem apposita? Negat Bonacina d. 4. quæst. ultimâ, §. 2. num. 6. sed probabile mihi videtur quod affirmat Gavan. p. 3. tom. 10. num. 19. & Diana par. 2. tract. 14. resol. 71. posse scilicet (oblatione ejus tunc mente conceptâ) consecrari, modò non remotius ab oblatione id fiat, ut cœptâ jam præfatione.

IV.
Resp. Essetissimè institutus.

Quæres quartò: Sintne ceremoniæ Missæ rectè ab Ecclesiâ institutæ, & an necessariò servandæ? Quoad primum, dicendum cum omnibus contra hæreticos ceremonias Missæ esse convenienter ab Ecclesiâ institutas: ita Suarez d. 84. sect. 1. Filli. tract. 5. cap. 5. num. 157. Layman lib. 5. tom. 2. cap. 8. Probatur; hæ enim ceremoniæ vel ut sacrificium debitâ cum reverentiâ peragatur continent, vel moralem ac mysticam in se significationem continent.

Peccat qui ullam ex Missæ ceremoniis sponte omittit.

Quoad secundum, omittere sponte ullam ex ceremoniis, vel etiam adiacere, est peccatum, imò omittere unam ex gravioribus, qualis est mixtio aquæ cum vino, erit mortale, quod etiam de ceremoniis levioribus dici debet si multæ omittantur: ita Suarez sect. 2. & alii citati. Ratio est, quia & est præceptum hæc de re, & esset gravis perversio præcipui ritus Ecclesiæ Catholice.

V.
Loquitur de publico exercitio.

Quæres quintò: An clerici, seu ministri inferiores teneantur interdum ministerium suum exercere? Sermo præcipuè est de Diacono & Subdiacono, & de publico exercitio in Missâ solemnî, nam nullus, per se loquendo, obligationem habere videtur privatim Missæ inserviendi.

Dico, ratione ordinis non tenentur.

Dico itaque nec etiam Diaconum aut Subdiaconum ratione ordinis unquam teneri sacrificio Missæ assistere, sed sufficit quod ad hoc præstantium sint parati quoties vel Ecclesiæ necessitas, vel Superioris voluntas id requirit. ita Suarez d. 87. sect. 2. & in hoc differunt à Sacerdote, cujus ministerium est Ecclesiæ omnino necessarium, non sic horum ministrorum, nec ullibi vel Divinum jus, vel Ecclesiasticum hoc ab iis exigit.

Aliquando tamen aliunde tenentur.

Dixi, ratione ordinis, nam aliunde, ut ratione beneficii ad hoc peculiariter ordinati, aut consuetudinis contingere potest ut obligentur.

VI.
Dicerendum non posse in

Quæres sextò: Possintne res sacræ converti in usus profanos? Respondetur, non posse, non solum dum consecrationem retinent, sed nec ubi eam amisserunt: ita Suarez d. 81. sect. 8. §. Ulti-

ma pertinet, Filliuc. tract. 5. cap. 4. num. 135. Layman tom. 5. cap. 6. num. 20. Unde quæcumque vestes sacræ, etiam vetustate detrita ac læcæ, non sunt ad profanos usus applicandæ, sed potiùs comburendæ. Ligna etiam ac lapides templorum dirutorum non ad alios quàm pios usus; ut ad claustrum vel dormitorium religiosorum (non ad quasvis viliores domus partes) sunt adhibendæ.

Ratio est, tum quia honoribus sacris debitus id videtur postulare, tum quia in cap. ligna, & canonico cap. Altaris in jure Canonico id expressè prohibetur. Vasa quidem argentea in quibusdam casibus divendi possunt, sicque in profanos usus transire, modò priùs diffracta sint, & igne ac ferro ita immutata, ut planè alia videantur. Quo tamen non obstantè possunt mortui Sacerdotes in sacris vestibus sepeliri, hic quippe non censetur usus profanus.

Quæres septimò: An clerici inferiores dum solenniter ministrant debeant esse in gratiâ? Dico primò, exercentem ordines minores in peccato mortali non peccare mortaliter, sed solum venialiter: ita Suarez d. 16. sect. 3. §. Tertio queri, addens hoc esse ferè certum, Filliuc. tract. 1. cap. 6. n. 87. Bonacina d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 5. Diana p. 3. tom. 4. ref. 196. & alii contra Navarum, Fabrum, Sylvestrum, & Angelum, tum quia materia levis videtur, cum remotè tantum concurrant ad consecrationem vel administrationem Sacramenti, tum quia non est certum, ordines illos esse Sacramenta, sed tantum sacramentalia. Unde Soto hos ab omni omnino culpâ excusat.

Diaconum & Subdiaconum Epistolam & Evangelium solenniter cantantes in peccato mortali peccare mortaliter affirmat à fortiori Navarrus, & alii citati, quod etiam docet Sa verbo Ordo, Caietanus, & alii.

Contrarium tamen videtur probabilius: ita Soto, Suarez citatus §. De aliis verò Filliuc. tract. 1. cap. 6. num. 87. Vasquez 3. p. tom. 3. d. 136. Bonacina d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 7. Valentia tom. 4. d. 9. quæst. 1. p. 4. ad quartum, Cönnick quæst. 64. art. 6. d. 1. num. 8. Diana p. 3. tract. 4. ref. 195. Layman tenere videtur problematicè. Ratio est, quia non videtur materia adeo gravis, nec actio illa adeo sancta, ut sunt actiones Sacramentorum. Suarez verò & Filliuc. dicunt peccatos mortaliter si id fa piùs faciant, quod tamen aliinègant.

Quæres octavo: An in mortali conficiens sacramentalia, & similia præstans, peccet mortaliter? Navarrus & Sayrus aiunt Sacerdotem in mortali conficientem aquam benedictam peccare mortaliter: idem dicunt Navarrus, Caietanus, & Angelus de concionante in peccato mortali. Dicendum tamen nec hos, nec etiam Episcopum primam tonsuram in mortali conferentem, vestes sacræ benedicientem, chrisma conficientem, &c. peccare mortaliter: ita Suarez d. 16. sect. 3. sine, Layman tom. 1. cap. 5. num. 10. Bonacina d. 1. quæst. 3. p. 2. num. 8. & 9. Valentia tomo 4. d. 3. quæst. 5. p. 3. Filliuc. tract. 1. cap. 6. n. 87. de parcho nuptias benediciente, Diana p. 3. tom. 4. ref. 196. Ratio est, quia hæ actiones non videntur materia gravis, nec sunt ad sanctificationem animæ immediatè ordinatæ.

Quæres nonò: An conficiens peccati mortalis peccet graviter tangendo res sacræ? Sylvestrus & Angelus aiunt peccare mortaliter eum qui corporalis,

Hoc in jure canonico expresse prohibetur.

VII.
Resp. Est tantum peccare venialiter.

Quid de Diacono & Subdiacono.

Diaconus etiam & Subdiaconus solum peccant in hoc venialiter.

VIII.
Resp. Tanti peccati venialiter.

IX.
Resp. Non peccat mortaliter.

corporalia, vestes sacras, & alia hujusmodi in mortali existens tangit, ob reverentiam his rebus debitam. Contrarium tamen est probabilius: ita Sotus, Valentia, Bonacina d. 1. q. 3. p. 2. n. 6, & alii: hæc enim non videtur esse res gravis. Imo Bonacina num. 13, cum aliis affirmat excusari posse à mortali Sacerdotem, qui in mortali existens ipsam sanctissimam Eucharistiam ab uno altari ad aliud transferret: imo q. 5. punct. 2. n. 2. idem docet de laico sacro-sanctam Eucharistiam à terrâ elevante, licet sit in peccato mortali. Utrumque etiam docet Suarez disp. 72. sect. 4. §. Sed objicies.

X. Quæres decimò: Possitne Sacerdos non jejunus consecrare ad communicandum infirmum? Affirmat Major, imo addit posse etiam in fermentato id facere, & sine vestibus sacris, si necessitas urgeat, & dicendo sola verba consecrationis, idque sine integritate sacrificii, seu consecrando solum panem. Idem quoad primum tenet Zanardus & Zambranus apud Layman, & probabile autumat Filliucius tract. 4. cap. 8. num. 242. licet contrarium dicat esse probabilis: & in raro aliquo casu (puta si moribundus nullum aliud recipere possit sacramentum) ut probabile admittit Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. vigesimo primo.

Resp. tamen non posse. Contraria tamen sententia est communis: ita Suarez tom. 3. disp. 68. sect. 5. Coninck q. 80. art. 8. Bonacina d. 4. q. 6. p. 2. num. 24. Azor lib. 10. c. 30. q. 2. Valentia tom. 4. d. 6. q. 8. p. 3. §. Quarto non tenentur, dicens contrariam sententiam esse omnino falsam, Henriquez lib. 9. c. 4. initio, & cap. 46. num. 1. Navarrus, Sotus, Sylvester, & alii.

Nec obstat quod opponunt aliqui, dari præceptum divinum communicandi in morte. Ratio est, quia cum Sacramentum hoc non sit adeo necessarium maxima reverentia Sacramento huic debita id requirere videtur. Dices, est præceptum divinum communicandi in morte. In primis hoc negari non improbabiler potest: deinde si esset, solum intelligitur quando convenienter potest; quod si non possit, excusatur, modò ex parte sua sit paratus. Alioqui & sine vestibus sacris, in fermentato, &c. posset quis id facere, quod omnes jam negant, & Valentia citatus ait esse paradoxum. Imo teneretur Sacerdos isthæc facere quæ affirmat Major. Tandem accedit consuetudo Ecclesiæ optima istiusmodi rerum interpretis, ut bene Filliucius citatus.

XI. Quæres undecimò: An ad aliquem communicandum possit Sacerdos hostiæ suæ partem dare? Quæstio procedit quando ex devotione cupit quis communicare; moribundo enim posse Sacerdotem partem suæ hostiæ reservare diximus supra cum Laymanno.

Existimo itaque posse: ita Sylvester, Angelus, & alii, Henriquez lib. 8. c. 46. num. 2. Sa verbo Eucharistia, n. 15. Bonacina d. 4. q. 5. p. 1. n. 15. Diana tertia parte, tom. 4. ref. 34. Ratio est, quia hoc factò nihil vel integritati sacrificii, vel reverentiæ Sacramento debitæ detrahitur: nec etiam abs re videtur, ut qui Missæ assistunt, sicut spiritualis, ita & realis fructus fiant participes.

XII. Quæres duodecimò: An Sacerdos non celebrans possit communicare seipsum? Resp. Scluso periculo scandali posse, si nec ipse celebrare queat, nec alius Sacerdos adsit, à quo Eucharistiam recipiat: ita Suarez disp. 72. sect. 3. Coninck quæst. 83. art. 3. n. 25. Sa verbo Eucharistia, Bonacina d. 4. quæst. 5. punct. 1. num. 12. Diana & P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

p. 3. tom. 4. ref. 48. Ratio est, quia Sacerdos est minister ordinarius hujus Sacramenti, nec ullo hoc jure prohibetur.

SECTIO QUARTA.

Quædam alia circa Communionem inquiruntur.

I. Quæres primò: An laicus possit in articulo mortis seipsum communicare in absentia Sacerdotis? Negat Bonacina d. 4. quæst. 5. p. 1. num. 6. Henriquez lib. 8. cap. 54. num. ultimo, & alii nonnulli.

Probabilius tamen est posse: ita Suarez d. 72. sect. 3. Coninck quæst. 82. articulo 3. num. 23. Filliucius tract. 4. cap. 9. num. 285. Layman tr. 4. cap. 7. num. 5. Diana part. 3. tom. 4. ref. 47. Ratio est, tum quia nec id divino jure aut naturali prohibitum est, nec extat ullus canon, seu jus Ecclesiasticum in contrarium. Consuetudo demum Ecclesiæ non videtur cum eâ obligatione & tanto rigore, in extremâ præsertim necessitate, recepta. Imo puto laicum in necessitate posse Eucharistiam ad alios deferre: ita Diana 3. parte; tom. 4. reso. 47. & propendere videtur Valentia t. 4. d. 6. q. 10. punct. 1. Suarez disp. 72. sect. 1. Layman t. 4. c. 7. n. 5.

Quæres secundò: An Sacerdos non jejunus possit administrare Eucharistiam, & an aliis digitis quàm pollice & indice? Quoad primum affirmat Suarez disp. 72. sect. 4. §. Sed objicies, Bonacina d. 4. quæst. 5. p. 2. n. 6. & alii communiter. Ratio est, quia nullo jure nec Divino, nec Ecclesiastico præcipitur contrarium.

Quoad secundum probabilius mihi videtur per se loquendo non licere aliis digitis quàm pollice & indice Eucharistiam administrare: ita Bonacina citatus num. 10. id enim & consuetudo requirit & decetia.

III. Quæres tertio: An qui saccharum ante mediam noctem in os immisit, ut paulatim illud deglutiat, possit communicare? Affirmat Tabiena, & unus aut alter ex Summistis. Contraria tamen sententia est communis Doctorum, quam tenet Suarez disp. 68. sect. 4. Vasquez tom. 3. d. 211. c. 3. n. 13. Coninck quæst. 80. art. 8. num. 48. Bonacina d. 4. quæst. 6. punct. 2. n. 7. Filliucius tract. 4. cap. 8. n. 236. Diana parte 2. tract. 14. ref. 51. & alii.

Ratio est, nam cum eâ intentione in os immittatur ut paulatim in stomachum transmittatur, est quasi successiva illius manducatio: unde si post mediam noctem aliquid illius in stomachum descenderit, impedit communionem. Alioquin, ut bene Diana citatus, si quis aliquandiu ante mediam noctem bolum cibi in os acciperet & terenda dentibus in ore teneret usque ad mediam noctem transactam, & tunc deglutiret, posset communicare; quod nemo opinor dicet.

IV. Quæres quarto: An in articulo mortis possit quis non jejunus communicare? Respondetur Si commodè expectare nequeat ut communicet jejunus, posse communicare non jejunum: quod non de morte solum naturali verum est, sed etiam violentâ, ut si quis ad mortem esset damnatus: ita Suarez disp. 68. sect. 5. Tolet lib. 2. c. 28. num. 6. Henriquez lib. 8. c. 50. Sa verbo Eucharistia, num. 2. Coninck quæst. 80. artic. 8.

Layman

Quorundam sententia est, posse.

Resp. tamen non posse.

Nec obstat quod opponunt aliqui, dari præceptum divinum communicandi in morte.

Respondetur posse.

Idq. extra casum necessitatis.

Resp. in quibusdam casibus posse.

I.

II.

III.

IV.

Probabilius videtur hoc posse.

Primum potest Sacerdos.

Secundum per se loquendo non potest.

Resp. non posse.

Ratio est, quia videtur successiva illius manducatio.

Resp. hoc esse licitum.

Layman tract. 4. cap. 6. num. 20. Fillucius tr. 4. cap. 8. num. 238. Bonacina d. 4. quæst. 6. p. 2. num. 22.

Conceditur in iure canonico.

Ratio est, tum quia plurimi censent esse præceptum Divinum communicare in articulo mortis: tum quia hoc privilegium infirmo concessum est cap. *Sacramenta* de Consec. d. 2. Unde secundum omnes non oportet in morbo periculoso scrupulosum esse in hoc Sacramento infirmis amministrando.

V.

Affirmant possim Theologi

Quæres quintò: An qui viaticum sumpsit non jejunus possit postea iterum communicare non jejunus? Negat Vasquez. Communis tamen sententia affirmat posse, ut post octo vel decem dies inquit Suarez disp. 68. sect. 5. post sex vel septem ait Layman tract. 4. cap. 6. num. 20. Fillucius tract. 4. cap. 8. num. 238. Bonac. d. 4. q. 6. p. 2. n. 23. & alii.

Nullibi hoc invenitur prohibitum.

Ratio est, tum quia Concilium Constantiense dum hoc privilegium concessit infirmis, non restrinxit ad unicam tantum vicem, tum quia nimis grave videtur, si morbus ad aliquot menses duret, non posse postquam semel viaticum sumpsit toto illo tempore denuo communicare. Imo Layman citatus putat posse altero statim die communicare non jejunum si mors instare videatur, & ægrotus solitus sæpe communicare id valde desideret. Si autem varietas appareat in morbo, ait Suarez, posse citius iterum quam intra octo dies communicare non jejunum.

VI.

Probabilis est non teneri.

Quæres sextò: An qui paulò ante mortis periculum communicavit, teneatur tunc iterum communicare. Resp. Probabilis videri non teneri: ita Layman tract. 4. c. 5. n. 4. Unde, inquit ille, si infirmus tribus, octo, vel decem diebus antequam in mortis periculum incidat communicaverit, hortandus quidem est, ut iterum sacram Eucharistiam per modum viatici sumat, ad id tamen non obligatur, cum præceptum de Eucharistia ante mortem instantem sumendam quoad substantiam impleverit. Alioqui si quis mane communicasset, deberet vespere eodem die iterum communicare, si vulneratus esset, aut

in morbum subitaneum incidisset. Idem tenet Diana p. 3. t. 4. ref. 40.

Quæres septimò: An musca per respirationem attracta, aut sanguis è capite defluens, & similia impediunt communionem. Respondetur negativè. Ratio est, quia non sumuntur per modum cibi aut potus: ita Suarez disput. 68. sect. 4. Bonacina d. 4. quæst. 6. punct. 2. num. sexto, Layman tract. 4. c. 6. n. 18. Fillucius tr. 4. c. 8. num. 236. Quare hujusmodi non censentur violare jejunium, non solum Ecclesiasticum, sed nec naturale. Et idem est si dum os abluatur pauxillum aqua in stomachum præter intentionem defluat, id enim per modum salivæ trajicitur, & sic de aliis.

VII.

Hæc & his similia communionem non impediunt.

Quæres octavò: An qui nocte post duodecimam per unum horologium auditam comedit, possit sequente die communicare. Respondetur: Possit, si secundum alia horologia necdum sit duodecima: ita Sanchez de Matrim. lib. 2. d. 41. se. num. 4. Diana tertia parte, tom. 4. ref. 36. licet Salas 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 25. num. 264. & alii nonnulli teneant contrarium.

VIII.

Probabilis videtur posse.

Ratio est, quia in omni re licet sequi opinionem probabilem, cum ergo secundum unum aut alterum horologium necdum sit duodecima, probabile est præsentem diem necdum esse finitum, nec sequentem inchoatum.

Probabile enim est alterum diem necdum esse inchoatum.

Quæres nonò: Quanto tempore post communionem liceat cibum sumere? Respondetur: Licet conveniens sit post communionem aliquo tempore à communi cibo & potu abstinere, propter majorem devotionem, majorémque reverentiam Sacramenti, non tamen peccaret is, per se loquendo, qui statim post sumptam sacramentam Eucharistiam cibum sumeret: ita Sotus, Valentia tom. 4. d. 6. quæst. 8. p. 3. circa finem, Bonacina d. 4. q. 6. p. 2. n. 25. Layman tract. 4. cap. 6. num. 23. & Suarez disp. 68. sect. 4. sine. Ratio est, quia nullum extat hac de re præceptum, & si quod olim fuerit, inquit S. Thomas tertiâ parte, quæst. 80. art. 8. ad sextum, per contrariam consuetudinem est abrogatum.

IX.

Per se loquendo non est peccatum statim post comedere.

